

Continentur hōc volumine.

1. D. Ios. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kort holt de Religionē naturali contrā Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic.
A. Franck.
4. D. I. Musæj questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem æternam perlingere possit?
5. D. Petri Musæj Oratio contra Atheos cum iustitia Dei pugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmanni diss. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölingij diss. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Wiggenij diss. de Attributis Divinis an et quod vel ea inter se et ab essentia differantur et fieri nos.
9. M. Hün d' Alhagen de Unitate Dei R. Wendelin.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommer.
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Vocationis Divinæ R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine animæ rationalis R. Laubing.

Sammelband

64
26

13. Reisoldi Quæstio: An in generatione hominis anima
per filius emanet ab anima parentis? & Progrediſſ.
14. M^r. Eccardi disp. de Creatione & Itaſen.
15. M^r. Horſt de Immortalitate animæ humanae
L. Dicelius.
16. M^r. Hundrohaga disp. de Animæ separata &
Rötiger
17. M^r. Adonina disp. III. de Geniis / Deon et horumum /
18. D. Lysenij disp. de vera Religione primi mundi usq;
ad Abrahamij tempora pro Lic. R. Weller.
19. Ex Basilio magno Ecclesiarum status pœ
tentis luculentia et pulchra hypotyposis,
s. verionia de ecclasiastica disciplina.
20. Praeacclamita sive Exercitatio super Epib. 12. 13.
et 14. cap. V ad Rom. quibus inducuntur primi
homines ante Adamum conditi.
21. Filiperti disſitio de Preadamitis Anonymo
exercitationis et systematis Theologiei auctori oppo
ſita
22. D. Alberti Grauerij libellus de Unica veritate
23. M. Scheurl de Causis haeresiow, et iis que ad
hereticorum technas evitandas et Logicas
principiū beneficio refellendas spectant. R. Barthmann.



9.
ΘΕΟΣ ΘΕΟΣ!
DE
UNITATE
DEI
PERMISSV SVPERIORVM

JENÆ

Ad diem Februarii

A.O.R.

clo Ise LXIII.

DISPVTABVNT
PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTO.

PHORVS Hundeshagen / Molhusinus, Amplissimæ
Facultatis Philosophicæ Adjunctus,

&
AUTOR - RESPONDENS

IOHANNES VVENDELINVS

Glöckner / Darmstatinus - Hassus.

LITERIS

Johannis Jacobi Bauhofferi.

Salvatoris et Iustitiae

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三

卷之三





1072

Thesis I.

Liquem totius hujus universi Monarcham ac speciosæ hujus Mundi machinæ Rectorem existere ipsi etiam sapientiores Ethnici extra omnem dubitationis aleam expositum habuerunt, ut ex ipso rum dictis ac effatis non potest non liquere. Hinc dissertissimus Romuli Ne potum Cicero l. i. d. leg. in hac verba crumpit: *Nullum tam immanis et tam verum esse existimo, qui non, etiam si ignorat qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat, quod libri eorum rituales & carmina salaria, in quibus ritus & sacrificia, quibus manè & vesperi iram Dei placare aut gratias agere, aut aliquid impetrare, aut mala prorsus a se a versa volebant, attestantur.* Et quamvis populi ante nostra hac tempora per navigationes, qui sine Rege, sine lege, sine techo, sine lecto, sub die instar ferarum degerent, & sine vestitu in sylvis oberrarent inventi sint: *At, qui religione aut Nomini sensu omni orbati essent, vix sunt comprehensi.* Universus enim iste Mundus, quid nisi Deum architectum suum ὄφελοφανέας demonstrat? Hinc verissimè autor l. i. d. Mundo c. 6. scribit: Διότι πάσῃ θυμῷ Φύσι τανόμενος αἴθεωρπος, αἴπ' αὐτῶν τῷ ἐργῳ γεωργίται τῇ γαρ πάτη, καὶ τῇ δὲ αἴρεται αἴταντα, καὶ τῇ βοῦτι γῆς, καὶ τῇ εἰ ὕδατι, ησάλειται τὸν τὸν τῷ τῷ κόσμον ἐπέχειται. i.e.: Quapropter, quum omni creaturæ invisibilis, ab ipsis ex operibus cernitur: *Omnia enim quæ in aëre sunt, & in terra,*

A 2

Dei

Dei opera reverè esse, quis dixerit qui mundo praeest. Ele-
ganter etiam Nazianzenus orat. 2. de Theol. ait: Quemadmo-
dum qui citharam affabre constructam & elaboratam conspicit,
ejusque concentum audit, ipse cithradum animo reputat; ita is,
qui Mundi harmoniam percipit, Mundum à divino Conditore &
architecto creatum intelligit.

I.I. Modi autem & viæ quibus intellectus humanus suis
remigiis subiectus, in praestantissimi hujus Numinis co-
gnitionem penetrare possit, tres passim recensentur ab Au-
toribus. (1.) est via Causalitatis, quando nimurum intel-
lectus noster sibi relictus, dum mundi hanc machinam con-
siderat, &c, quæ in ea continentur, universa tam admirabi-
li & conveniente ordine esse constituta, & cottidiè tam
sapienter gubernari animadvertisit, ascendit ad aliquam
causam, atque adeò cùm non detur progressus in infinitum,
à quo & ratio, imò tota natura abhorret (vide Philoso-
phum II. Met. c. 2. vir. Phys. c. 1. ix. Phys. c. 5. t. 34. & 1. Post-
analyt. c. 16. 17.) colligit eam causam esse Deum, quia ipse
est ens nobilissimum atque perfectissimum. (2.) Via Emi-
nentiæ, quia enim omnis perfectio, quæ est in effectu prae-
existit in causa vel formaliter vel virtualiter seu eminen-
ter, i. e. ita, ut vel ratio formalis ejus vel conceptus quid-
ditativus, vel saltē nobilius quid cum vi effectiva illius per-
fectionis quæ est in effectu in causa inveniatur. Juxta B.
Stahl. Disp. V. Reg. II. Part I. Reg. Philosoph. ideo ulterius
progreditur intellectus noster, & eas, quas in creaturis de-
prehendit perfectiones, deo etiam tribuit, sed longè emi-
nentiori & nobiliori modo, ita ratiocinans: Quæcunque
perfectiones sunt in creaturis, illæ sunt etiam in deo vel
formaliter vel eminenter modo tamen nobiliori. Atqui
esse ens, substantiam, personam, spiritum, viventem, in-
telligentem, volentem, potentem, bonum, justum, mi-
seri-



sericordem, corporeum &c. sunt perfectiones in creaturis.
E. Major fundatur in adducto axiomate. Minorem nemo negabit. Stat E. conclusio quæ tamen cum disjunctione inferenda est h. m. E. Perfectiones quæ in creaturis inventur, sunt etiam in Deo vel formaliter vel eminenter, si quidem non omnes creaturarum perfectiones sunt in Deo formaliter. Quod, ut intelligatur, notandum est, perfectiones quæ in creaturis observantur, esse in duplice differentia: Quædam sunt simpliciter tales, quæ in suo conceptu formaliter important perfectionem cum nulla imperfectione conjunctam, ut priora illa esse ens, substantiam, spiritum &c. Quædam sunt perfectiones secundum quid tantum, quæ scilicet in formaliter suo conceptu seu in definitione sua important perfectiones, cum admittant tamen imperfectionibus, qualis perfectio est postrema illa, nempe corporeum esse, hæc in definitione sua importat imperfectionem quandam v. gr. compositionem ex materia & forma, dependentiam. &c. Ex his inferendum nunc est: prioris generis perfectiones esse in Deo formaliter, posterioris autem eminenter tantum, quatenus in Deo est virtus & potentia, qua producere illas potest. Sic corpus aliquid non est in Deo formaliter, propter imperfectionem quam importat, quæ Deo adscribi nec debet nec potest; est tamen in ipso eminenter, quia in Deo est nobilior quipiam, nempe virtus & potentia quia illud producere potest. Quod pertinet, quod Deo in Scripturis tribuantur oculi, manus, pedes, brachium, quæ, cum imperfectionem aliquam involvant, Deo tanquam enti perfectissimo formaliter inesse non possunt, tribuantur tamen Deo, quia ipsi inest virtus nobilior, quæ modo præstantiori præstare potest, quicquid homines beneficio illorum organorum præstant. (3.) Tandem Via Negationis: cum imperfectiones Creaturarum à Deo tanquam

perfectissimo ente removemus. v. gr. quia finitum, corporum, mutabilem esse, aliunde dependere, aliquando non extitisse in creaturis imperfectiones sunt, recte eas à deo removemus, ipsumque infinitum, incorporeum, immutabilem, independentem, aeternum esse concludimus. Hac omnia latius deduxit pl. Rev. Dn. D. Musaeus. LL. Theol, part. I. c. 2. de notitia Dei naturali §. 5. qui videre jubet Suarium dis. 29. & 30. Adde hac de re Theol. Scholast. Becani tr. I. §. 1. c. 6. dn. Scheibl. c. I. dn. Ebelium disp. XIV. Aphor. Met. c. 2. §. 6. & alios.

III. Hisce tamen, quod nempè Deus naturaliter cognosci possit, obstare videntur sequentia (1.) Q. naturaliter ab intellectu hominis cognoscitur, illud cadit sub sensu: Deus non cadit sub sensu. E. naturaliter non cognoscitur. (2.) cuiuscunque nulla datur species intelligibilis, id intelligi naturaliter non potest ab intellectu hominis: Atqui Dei nulla datur species intelligibilis. E. Deus naturaliter cognosci nequit ab intellectu hominis. Major certa est: Minor probatur, quia species intelligibilis provenit à phantasmate, quod est species sensibilis in phantasie. At vero nulla datur species sensibilis Dei, nullum phantasma. E. nec species intelligibiles. (3.) Q. est finitum, illud non potest cognoscere infinitum; Intellectus hominis est finitus. E. non potest cognoscere Deum tanquam infinitum. Major probatur: quia inter cognoscens & cognitum debet esse proportio, qualis non est inter finitum & infinitum. Antequam respondeatur ad hæc argumenta, præmittendum est, quod cognitio Dei sit duplex, una abstractiva cognitio dicitur, altera intuitiva. Abstractiva cognitio dicitur, cum Deus non in se suaque essentia, sed per aliud cognoscitur. v. gr. per effectum l. alia ratione. Intuitiva autem Dei cognitio vocatur, cum Deus non in alio aut per aliud,

liud, sed in se ipso suaquæ essentia cognoscitur: atque hæc intuitiva cognitio longè perfectior est quam abstractiva, imò hæc cognitio est omnium, quæ in humanum intellectum cadere possunt perfectissima, habet enim objectum perfectissimum nempè Deum. Modus cognoscendi est etiam perfectissimus, adeò ut à Christo ipso Matth. 5. visio Dei per quandam analogiam ad visionem, quæ sit oculo corporis, comparetur. Sicut n. cognitio perfectissima est, cùm rem præsentem videmus: ita intuitiva Dei cognitio perfectissima est, quia per eam in Deo omnia videntur, quæ scilicet in Deo sunt formaliter, ut sunt essentia divina, personæ & attributa.

IV. Jam dicendum, quòd Deus non cognoscatur quidem ab homine naturaliter cognitione intuitiva, quia, quod naturaliter ab hominis intellectu cognosci potest, id aliquo cognoscitur sensu: Deus autem quatenus intuitivè est cognoscibilis sub nullum sensum cadit. E. nec sub intellectum, naturaliter scilicet. Huc accedit, quod cognitio intuitiva per lumen gloriæ fiat, quod sicuti homini non est naturale. Ita cognitio intuitiva, quæ per illud fit, homini naturalis non est, & sic hominis intellectus Deum naturaliter cognoscere non potest intuitivè. Nihilominus tamen Deus naturaliter cognosci potest cognitione abstractiva, v. g. ex creaturis tanquam effectibus, ut quando rationis usus sese exserit, ita ut à cognitione creaturarum ad cognitionem Creatoris progrediatur, à quo dependeat creatura, quæ cognitio est abstractiva.

V. Ad (1) argumentum antequam respondeatur, sciendum est, quòd aliquid posit cadere sub sensum duplieiter, 1. per se & directè. 2. rationē alterius & indirectè. Sicut v. g. color per se cadit sub visum, sonus sub auditum; Causa verò ratione effectus dicitur sub sensum cadere, quando scili-

scil. effectus, ex quo colligi potest causa, sensu percipitur.
His præmissis notandum, quod Major possit bifariam intel-
ligi, primò hoc modo: Quicq. naturaliter ab intellectu ho-
minis cognoscitur, illud cadit sub sensum per se & ratione
sui, quomodo intellecta major est falsa, ut enim ab intelle-
ctu aliquid cognoscatur, sufficit, si cognitum fuerit à sensu
per accidens & ratione alterius; Sicut v. g. intellectus co-
gnoscere potest causam ex effectu, licet à nullo cognita fu-
erit causa, sufficit enim quod cognitus fuerit effectus, ex
quo causa colligitur; Secundò Major ita intelligi potest:
Q. naturaliter ab intellectu cognoscitur, illud cadit sub
sensum per accidens, hoc modo minor est falsa, quod scil.
Deus non cadat sub sensum per accidens, nempe ratione
effectuum, cum multi effectus Dei sensibus percipientur.
Ad (2.) p. Negando Majorem. Nam sermo hic est de co-
gnitione abstractiva: potest autem aliquid naturaliter co-
gnosci abstractivè, licet nulla ejus detur species intelligibili-
lis: cognoscitur enim per speciem alterius rei. In (3) ar-
gumento negatur major: Quod probationem concernit
in qua dicitur, requiri proportionem inter cognoscens &
cognoscibile, qualis non est inter finitum & infinitum. p.
duplicem inter cognoscens & cognoscibile intelligi pro-
portionem, vel ratione entitatis; & hoc modo proportio
non est necessaria, nam si v. g. talis proportio requireretur
inter cognoscens & cognoscibile, tunc si alterum habet enti-
tatem finitam, alterum quoq; habere debet talem enti-
tatem, & sic Deus creaturas cognoscere non poterit, cum sit
infinitæ entitatis, creature autem finitæ. Secundò igitur in-
telligi potest proportio inter cognoscens & cognoscibile
in ratione cognoscentis & cognoscibilis, & hoc modo
inter finitum quoque & infinitum est proportio, cum alte-
rum ab altero possit cognosci, sicut creatura finita cogno-
scibi-

scitur à Deo infinito. Relinquitur ergò quod Deus naturaliter cognosci possit & cognoscatur, quæ questio debuit necessariò præmitti, cùm huic totus noster discursus innaturat; etenim si Deus naturaliter non cognosceretur, etiam naturaliter non cognosci posset quod sit unus.

V I. Varia autem prædicata de Deo ductu luminis naturaliter cognosci possunt, quæ omnia adferre ob prolixitatem, nec tempus sinit, nec præsens institutum nostrum, quod brevitati litandum, permittit. Celebris admodum reperitur divisio eorum, qua attributa divina dispescuntur in positiva & negativa. Positiva sunt quæ significantur terminis affirmativis nullam negationem importantibus; quorum iterum alia absoluta sunt, quæ nullum respectum impllicant, ut cùm Deus dicitur ens. I. 12. Met. c. 7. Substantia ibidem. c. 6. 7. & 8. Æternus 12. Met. c. 6. potentissimus l. d. mundo. c. 6. Intelligens 1. Met. c. 9. ξενος αἰδιος, αἰειος, vivens sempiternum, optimum 12. Met. 7. Substantia spiritualis. αἰωντῶν κεχωρουμένη d. 1. c. 7. αὐταρχης sibi sufficiens. I. 2. M. M. c. 15. Alia respectiva, quæ important habitudinem ad creaturem tanquam effectus Dei, ut, quando dicitur εὑπορική αρχήτις causa & principium quoddam. I. Met. 2. item αρχὴ τοῦ πρώτου τῶν ἀρτῶν principium & primum entium 12. Met. c. 8. καὶ τῷ πρώτῳ τῷ αἰδιον τῷ μίαν κύριον, primo & sempiterno & uno motu movens. ibid. Atributa Dei Negativa describit B. Scheibl. I. 2. c. 3. quod sint ea, quæ per particulam negativam IN. I. Græcum A. de Deo enunciantur: quæ descriptio nobis non ad palatum, siquidem multa dantur prædicata Dei Negativa, quæ neq; per particulam IN neq; Græcorum A de Deo enunciantur, ut cùm dicitur Unus, simplex &c. Nobis igitur attributa Dei negativa sunt illa, quæ à Deo removent aliquam imperfectionem; ut cùm dicitur immutabilis 12. Met. 9. αφθαρτος, incorruptibilis. I. 2. d. cœlo. t. 36. ξενος αἰδιατος, vivens immortale. 5. Top. I. Unus. 12. Met. c. 8. Simplex I. 2. de cœlo.

VII. Hæc triplicia attributa seu prædicata Dei cognoscuntur ex triplici prædicta via, qua aliquid intellectus humanus sibi relictus deo naturaliter cognoscere assolet. Nam, monente Beato Traict. i. Theol. Scholast. tom. i. p. m. i. per viam causalitatis cognoscuntur attributa Dei relativa; hoc enim naturale nobis est, ut viso effectu aliquo incipiamus cogitare de causâ eamque investigare, & inde etiam, consentiente Aristotele, Philosophia sumvit initium, quando igitur querimus rerum causas, devenerendum tandem est ad causam primam nempe ipsum Deum, ita ut Deus cognoscatur tanquam causa eorum, tanquam Cœator, Conservator. Deinceps Viâ Eminentia investigantur & cognoscuntur prædicata seu attributa Dei positiva seu absolute. Notandum autem est, quod via eminentia presupponat viam causalitatis, postquam enim cognovimus omnes creaturas efficienter dependere a Deo, ratio nostra ulterius progreditur & considerat, nihil esse in effectu, quod suo modo non anteà præextiterit in causa, i.e. formaliter, & eminenter. Hinc prædicata absoluta Dei cognoscuntur longè eminentiori modo esse in causa prima nempe Deo. Tandem attributa Dei Negativa cognoscuntur & investigantur Viâ negationis, quando scilicet creaturarum imperfectiones à Deo removentur. e.g. quando in creatura cognosco quod mortalitas importet imperfectionem, illam removo a Deo tanquam ente perfectissimo, & ipsi tribuo immortalitatem. Sic v. g. si in creatura reprehendo, quod mutabilitas imperfectio sit, eam etiam à Deo removo & ipsi tribuo immutabilitatem. Sic viâ negationis attributa Negativa ex ductu luminiis naturæ deo cognoscuntur.

IX. Hisce quæ adductæ fuerunt obstante videntur sequentia. (i) quod minus recte deo tribui videntur attributa

buta Dei Negativa : Quicquid enim deo competit , perfe-
ctionem debet importare : negatio autem perfectionem
non importat. E. non est attributum divinum , & conse-
quenter, nullum attributum DEI est negatio seu negati-
vum. (2.) minus recte dici videtur , quod deo competant
attributa relativa ; quod hoc evincitur discursu : O. At-
tributum Dei est aeternum ; Relativa , quæ Deo competunt
non sunt aeterna. E. Relativa non sunt attributa Dei : Maj:
probatur , quia attributa Dei à parte rei non differunt ab es-
sentia divina , unde , sicut essentia Dei est aeterna , ita etiam
attributum Dei est aeternum. Minor probatur , quia v. g.
Creatorem esse , quod est respectivum quid , in tempore deo
competit , cum ab aeterno non creaverit. At enim vero
res adhuc salva est , & ad (1) p. negando propositionem mi-
norem , quod sc. negativa attributa nullam in Deo impor-
tent perfectionem. Sciendum autem , quod attributa Dei
negativa dupliger possint considerari , primò formaliter ,
quatenus sc. à deo removent aliquid , & si præcisè hoc m.
considerantur non important perfectionem. Deinde
materialiter , & sic omnino perfectionem quandam impor-
tant , sicut v. g. immortalitas importat perfectionem , nem-
pè vitam. Idem sentiendum est de coeteris . In (2.) argu-
mento iterum inficias imus minorem , quod nempè attribu-
ta relativa non sint aeterna. Notandum igitur quod attri-
buta Dei relativa bifariam possint spectari. Primò in actu
secundo , qua ratione Creator est & dicitur is , qui actu cre-
at & aliquid producit : Secundò in actu primo , quemad-
modum v. g. Creator est is , qui habet potentiam creandi ,
Conservator , qui potentia conservandi instructus est ,
quando jam deo attribuuntur relativa attributa , sumun-
tur in actu primo , ita , ut v. g. Creatorem esse importet
potentiam creandi , & hoc m. attributa relativa etiam sunt
aeterna.

IX. Missis autem jam attributis aliis, in præsentia considerabimus unicum attributum dei negativum, & paucula pro ingenii modulo de Summi Numinis Unitate differemus. Ut verò cœpta felicius succedant, non ab re esse autem amus, si *μανια* vocis UNUM prius evolvamus & annotemus. Sumitur verò hæc vox⁽¹⁾ relativè pro EODEM, ut, cùm homo & brutum unum dicuntur genere & hac ratione nihil potest dici Unum absolute, sed in ordine & respectu ad aliud, ineptè enim brutum dicitur unum genere, nisi collatum cum alio quopiam v.g. homine. Deinde sumitur pro attributo Entis, quatenus negat indivisionem rei in se, & sic omne Ens Unum est. Ultima verò & frequentissima ejus acceptio est, qua idem est quod solitarium & Unicum seu unum tantum, & negat multitudinem rei seu consortium aliorum, quo sensu capitur, cùm sol dicitur Unus, negat enim hæc vox plures in rerum natura dari soles.

X. Ordine nunc acceptiones istas considerabimus, & quæ ac quomodo Summo Numinis convenient, dispicie-
mus. Quod itaque primam ejus significationem, quæ rela-
tiva est, concernit, omnino ista Deo, si consideretur cum
aliis, competit: Varii autem modi Unius relativè sumti à
Philosopho s. met. c. 6, recensentur, quorum quidam deo
tribui, quidam verò minimè possunt. Primo aliqua dicun-
tur Unum continuitate, quæ communi aliquo termino
copulantur, ut partes brachii.⁽²⁾ alia unum sunt *κατα-
κείδην* eidē *αποφορα*. Subjecto indifferentē formā sen-
sibili, quomodo omnia mulsæ unum sunt ratione mellis.
Neuter horum modorum primo Enticūm aliis communis
est, ob imperfectionem quam uterque secum trahit. Ut e-
nīm aliqua hisce modis unum dicantur, necesse est ut ex
subjecto & accidente vel partibus integrantibus sint com-
positi.

posita, quæ compositio, tanquam maxima imperfectio, deo longissimè removenda est. (3.) Datur Unitas $\chi\tau\eta\tau\alpha$ $\alpha\tau\alpha\lambda\omega\gamma\alpha\tau$, secundum analogiam, inter ea nimirum quæ ita se habent, ut aliud ad aliud. (4.) datur Unitas Generica, quæ quædam unum sunt genere, vel Generalissimo, ut corpus & Spiritus vel Subalterno, eoque iterum vel proximo, ut brutum & homo, vel remoto, ut justitia & injustitia. (5.) inter aliqua invenitur identitas $\chi\tau\eta\tau\alpha\tau\delta\zeta$, secundum species, quorum definitio essentialis indivisibilis est ad aliam declarantem quid res sit. Denique (6.) infinitus unitatis gradus est unitas numerica, illorum scilicet quorum ratio quidditativa ita indivisibilis est, ut nec tempore nec loco, nec ratione separari possit, ita unum sunt indumentum & vestimentum, Ensis & gladius. &c.

XI. Sequitur secunda Unius acceptio, qua unum nihil aliud est quam Ens in se indivisum. Et cum hac ratione sit attributum Entis, non opus est, ut multis ostendamus, deum, qui est Ens Entium, hoc sensu esse Unum; et si enim dum deum hic Ens vocamus, adversarios habeamus mirandulanum l. i. d. Ente & Uno. cap. 3. & Scaligerum Exerc. 305. sect. 6. qui hanc & alias locutiones in concreto deo minus recte tribui censem, usumq; non recte extorsisse istum loquendi modum, dicunt, tamen si vel maximè, quod tamen falsissimum, & ab aliis solidissimè refutatum, Deus non recte dicereetur Ens, adhuc ipsi Unitas hac secundâ acceptione conveniret, est enim in se indivisus, quæ indivisio est ratio formalis Vnius. Cui igitur ista competit, illud etiam erit unum, quia vero Ens secundum Unitatem distinguuntur in universale & particulare, ulterius jam disquirendum est, an Deus sit Vnum quid numero; At vero essentia Dei possit multiplicari in plures vel species vel individua, & sic habeat Unitatem Vniversalem.

XII. Cùm verò aliàs nil sit tam absurdum , quin defensorē & patronum inveniat , ita etiam repertus fuit Piscator Theologus Herbornensis , qui ad Elench. busch. c. 16. posteriorem problematis partem affirmare non veritus est , deumque de tribus personis ut genus prædicari statuit , nixus stramineis quibusdam ratiunculis : sed nos pro priori quæstionis parte contra pescatorem proponimus hoc argumentum ex natura universalium desumtum : Quicquid in iis de quibus prædicatur , nec multiplicatur , nec multipli- cari potest , illud non est universale adeòque nec genus . Aqui Deus in iis de quibus prædicatur , non multiplicatur , nec multiplicari potest . E. Deus non est universale , & con- sequenter nec genus . Major nititur ipsa ipsius universalis natura , de cuius ratione formalis est , ut sit in multis cum , sui multiplicatione , seu ut in multis quibus inest , multipli- cetur natura ejus . Minor itidem in aprico est , nam licet natura divina sit in multis , nempe in tribus personis ; in il- lis tamen non multiplicatur , cum sit una numero divina essentia . Stat ergo conclusio inconcussa .

XIII. Rationes verò quas Piscator pro stabilenda sua sententia adserit , elumbes sunt , cùm manifestè impingant in regulas syllogisticas , adeòque refutatione vix dignæ sint . (1.) Ita argumentatur : Totum partibus suis essentialis est genus . Deus est totum partibus suis , nempe tribus personis , essentialis . E. Deus est genus . Verùm breviter respondemus . cùm per totum partibus suis essentialis hic nihil aliud intelligatur quam universale , falsa E. est major & minor , quia salva veritate subjecto ejus non potest præfigi signum universale , quod tamen in syllogismis primæ figu- ræ ut formaliter concludant , est necessarium . Falsum e- nim est , omne totum partibus suis essentialis esse genus , cùm & species sit ejusmodi totum , nec tamen genus . Min- quia ,

quia, ut jam dudum monuimus, per totum partibus suis es-
sentiale hic nihil aliud intelligi potest, quam universale.
At vero falsissimum est, deum esse tale totum, cum de hu-
jus natura sit, ut in partibus, i. e. inferioribus suis multipli-
cetur, quis vero qui sacrarum literarum Oracula admittit,
multiplicationem summae & simplicissimam naturam, in tri-
bus S. S. triadis personis affirmabit! (2.) Piscator ita colli-
git. Quod de specie praedicatur in quid, non reciprocè, illud
est Genus. Atqui deus de singulis personis praedicatur in
quid, non reciprocè. E. deus est genus. Bella me hercule ar-
gumentatio & Calviniano digna. In minore ita subsumere
debebat: Atqui deus de specie vel speciebus praedicatur in
quid, non reciprocè, quod in veritatem manifestò impingit.
Sunt igitur in argumento expressè quatuor termini. Hic *as*
o παράδεισον observandum, quod fuerint, qui statuerint, deum
nec ad universale nec ad singulare referri posse. Non ad
universale, quia non potest multiplicari, quod tamen re-
quiritur ad universale; nec etiam ad singulare, quia Deus
est communicabile quid, singulare autem est incommu-
nicabile. At enim vero hæc sententia admitti non potest:
Nam universale & singulare involvunt rationes contra-
dictorias, nempe communicabile & non communicabile
cum sui multiplicatione. Sicut autem inter hæc duo
contradicторia non datur medium, ita etiam medium
nullum est inter universale & singulare, sed quicquid
est referri debet vel ad singulare vel ad universale. Deus
igitur est singulare quid; quod probatur hoc modo. Quic-
quid est indivisibile in plura talia, quale est ipsum, illud
est singulare: DEVS est Ens indivisibile in plura ta-
lia, quale est ipsuni. E. est Ens singulare. Min. clara est,
quia DEVS non potest dividiri in plures deos. Ad argu-
mentum oppositum respondere haud difficile erit. Licet
enim DEVS sit communicabilis tribus personis, hoc ta-
men,

men non sufficit ut ex classē singularium eximatur, & ad universalia transferatur. Nam ad universale præter hoc, quod communicabile est, insuper requiritur, ut sit multiplicabile, seu, ut natura ejus in illis, quibus competit, possit multiplicari, quod DEO non competit. Hoc tamen faci silentii supparo involvi non potest, quod DEVS non prorsus & in omnibus conveniat cum aliis singularibus: Nam sicut alia singularia sunt incommunicabilia, ita DEVS ab ipsis, hac in parte recedit estq; communicabile quid quia tamen primaria ratio singularium in eo consistit, quod non possint multiplicari, idcirco DEVS meritò ad singularia refertur, quia non potest natura divina multiplicari. Sed hæc obiter.

XIV. Pergimus nunc ad tertium & ultimum vocis Vnius acceptiōnem, quæ potissimum attendi solet, quando sermo est de DEI Vnitate. Quæstio igitur paulò prolixius nobis jam discutienda hæc est; *An DEUS sit Unicus seu Unus tantum, & num intellectus humani vires naturales ad hanc Dei Unitatem sufficiant?*

XV. Sanè, si Veterum monumenta scriptorum evolvimus, & quid vulgus Ethnicon de Deo rebusque divinis statuerit, inquirimus, ολυμπος καὶ δῆμος Θεῶν, ut Damasc. l. i. de orthod. fid. c. 10, loquitur, inveniemus. Quot enim Poëtae introduixerint Deos, satis notum est, adeò, ut in tantum illos multiplicaverint, ut Themistius in Orat. ad Valentem potuit trecentas deorum opiniones de Deo numerare. Apud Lacedæmonios non timori tantum, sed & morti & risui & aliis hujusmodi temploa fuerunt dicata. Quid quod! Singulis penè vitiis patronos adscitos quosdam deos videmus. Adulteris, incestis, parricidis amicum Numen Jovem censuerunt, tot matrimoniorum violatorem, stupro sororis oblitum, contra Saturnum Patrem bellige-

tan-



rantem. Ebrios atque insanos Bacchus tuetur, perjurio fur. tisque Mercurius deputatur: amoribus atque immunditiis præsider Venus: Suis quoque affectibus ut Spei, Fidei, Concordia, Volupiæ, Libentinæ, ut & Paci, Quieti &c. aras, extruxerunt. Prolixius ea deducentem videoas Virum admodum Reverendum atque Amplissimum Dn. Dilherrum in Dissert. Philolog. XIV. p. 273. Imò

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignit

Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flamas.

Ut his suis verbis testatum facit Prudentius. Hinc Ascriæ us senex triginta millia Deorum numerat, cum ita canit:

Tgis γαγ μέροι εἰσὶ Χρονὶ πελυκοτέρη

Ἄγαραι ζώος, Φύλακες θυτῶν αὐτοπόνοι

Ter enim decies mille sunt in terra multorum altrice

Dii foris, custodes mortalium hominum.

Orpheus Deos trecentos sexaginta quinque confessus est. Lactant. l. i. de fals. relig. c. 7. Alii, teste Varrone, cœlum & terram duos magnos dixere Deos, quasi communem omnium, alterum Patrem, alterum Matrem.

XV. Quædam etiam animalia propter mirificum sui genium atque officia in vita mortalium, à populis in divino habita honore. Columbae à Syriis, Ciconiae à Thessalica, pro Diis culta: Apud quos capitale fuit eiconiam occidisse; anseres à Romanis, quibus ob Capitolium servatum publicè à Censoribus alimenta præbebantur. Syri à piscibus abstinuerunt, quod Facelitis Veneris filia, in piscis formam commutata diceretur, quam Syri pro Dea sunt venerati. Huic argenteos pisces in templis consecrare consueverunt. Ægyptii Ichneumones, Vultures, Crocodilum coluerunt: à quo liberos Ægyptiorum devorari, honori sibi ducunt Parentes, referente Ælianico. Saitæ & Thebani ovem venerabantur: latum, pisces Nili, Latonopolitani, Lupum, Lycopo.

C

Lycopo.



Lycopolitani, Cynecephalum Hermopolitani, cepum Babylonii, qui ad Memphis habitabant, aquilam Thebani, Leonem, Leontopolitani: capram & hircum Mendesii, murem & araneum Artotyrite: angvem Romani venerabantur ut rursus videre est apud Excellentissimum Dn. Dillherum disput. ante citata p. 373. Aures vacivas etiam præbeamus Senecæ, qui ita l.d. Superst: Qui inviolabiles & immortales vocabantur, in materia vilissima atque immobili dedicati erant, & habitus illis hominum, serarumque & piscium: quidam verò mixto sexu diversa corpora induunt, & pejora omnes à nobis requirunt quam Tyranni. Nempe, ut quis sibi brachium fecerit, aut se se castret &c. ut sacrificentur illis homines, virgines, pueri; quod non Busyrus non Phataris unquam postularunt. Quo rāmen apud eos nihil crebrius usu, nihil videtur sanctius. Vid August. 2.VI. De C.D. cap. 10. Eleganter Ægyptiorum infaniam in Deorum multitudine depingit ac deridet Rhodius Anaxandrides Poëta Comicus, his verbis:

Bούτε προσκυνεῖς, ἐγώ δὲ θύω τοῖς Θεοῖς.

Τὸν ἔγκλημα μέγιστον ἡγγὺς δαιμόνος,

Ημεῖς δὲ τὰς ὄψεις μέγιστον τῷδε πολτόν

Οὐτε ἐδίεις ψειτε, ἐγώ δέχομαι πολτόν

Μάλιστα τέτοιος. Κύρια σέβεις, τύπλῳ δὲ ἐγώ· i.e.

Bovem colis, Diis ego malo bonum,

Tu maximam angustiam Deum putas; ego

Obsoniorum credidi suavissemum:

Carnes suillas tu caves; at gaudeo

His maximè. Canem colis, quem verbero.

XVI. Imò nontantum apud gentiles πολυθέοτης ista viguit, sed etiam in Ecclesiæ pomœriis reperti sunt, qui vel rationis sua speculationibus frœnum laxantes, vel aliis à malo Dæmoni modis seducti, rejecta doctrina de unitate veri Dei, quæ publicè in Ecclesia sonabat & docebatur, multitudinem

Deo-



Deorum introduxerunt, è quorum censu est primò Valen-
tinus Philosophus, qui, cùm Trinitatem in Ecclesia credi,
& nos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizari videret,
singulis operibus Dei peculiares Deos attribuebat, ita col-
ligens: Si tot sunt personæ Trinitatis propter baptismum,
quidni etiam erunt tot Dii, quot sunt opera & beneficia
Dei? Sub idem ferè tempus exortus est error Marcionis,
fingentis alium Deum V. alium N.T. Deum V. T. dicebat
esse iracundum, severum, punientem scelera, pluentem sul-
phur & ignem: N.T. Deum dicebat esse beneficium, lon-
ganimum, misericordem. Totidem etiam Deos æternos
sibique invicem contrarios finxit Manes (undè Manichæi
sectatores ejus nomen sortiti) unum bonum, à quo omne be-
num proficietur, alterum malum à quo esset, quicquid
quocunq; modo mali rationem haberet. Hunc appellavit te-
nebras, illum verò lucem. Hosce tandem secuti sunt Trithei-
tae, qui docebant, non tantum tres distinctas esse Deitatis per-
sonas, sed etiam tres Deos inæquales, Patrem nempè
solum à seipso esse Deum, Filium verò & Spiritum S. à Patre
habere quod sint Dii, & idcirco quodammodo minus pri-
marios esse Deos. De hisce prolixiorem Vid. B. Gerhar-
dum, Exeg. Loc. 2. c. 6. §. 97.

XVI. Quanquam autem ii, qui Christianæ religioni
se addictos verè profitentur, doctrinam de Unitate essen-
tiæ divinæ piè credunt, tamen inter eos quosdam reperire li-
cet, qui hoc non ex lumine naturæ, sed ex sola Dei su-
pernaturali revelatione cognosci posse existimant. Quæ
quidem sententia adscribitur Occamo, & Gabrieli à Valen-
tia Tom. I. disput. 1. quæst. 2. p. 2. Quibus tamen semper
reclamatum est à Viris doctissimis, & in saniorum Gentilium
scriptis versatissimis, qui unitatem Dei non ex sola revela-
tione hauriri, sed & intellectum humanum naturalibus
suis viribus ad hanc cognitionem ascendere posse statuerunt.

Ubiquidem notandum, quod aliud sit ductu luminis naturæ probare Ens increatum, aliud verò probare illud Ens increatum esse unum. Prius probari poterit ut posterius nondum sit probatum: neq; enim is qui probat, dari Ens increatum, probat illud increatum esse unum nempe deum. Nam adversarius objicere potest, quod detur quidem Ens increatum, sed illud pro diversitate specierum multiplex esse, ita, ut in genere humano detur homo increatus, in genere arborum arbor increata. Sicut ex Hæreticis posuere quidam principium Spiritum, alii verò principium corporum; Alii principium peculiare boni, & peculiare mali. Ostendendum igitur est ex lumine naturæ illud Ens increatum esset tantum unum; notanter verò dicitur ex lumine naturæ, nam ex Scriptura sacra sive revelatione divina hoc notum est. Deut. 6. v. 4. & Esaïæ 45. Quod tum firmis rationibus, tum consentientibus Ethnicorum testimoniosis probatum ibimus, non nisi unum Ens improductum seu Deum in cognitionem humanam per discursum cadere, immo nec plures simul existere posse.

XIX. Producimus igitur in scenam hunc syllogismum pro Unitate Dei adstruenda: Q. ex necessitate intrinseca & secundum essentiam suam est singulare, id non potest multiplicari: atqui ens increatum seu Deus ex necessitate intrinseca & secundum essentiam suam est ens singulare. E. non potest multiplicari; si multiplicari non potest, est unum tantum. Major probatur, quia singularitas est ratio, cur aliquid non possit multiplicari & pluribus communicari. Sic v. g. homo multiplicari potest; Petrus non item, ratio est, quia obstat ejus singularitas. Quod igitur necessario & secundum essentiam suam includit singularitatem, id propter singularitatem multiplicari nequit. Minor

probatur, quia singulare non potest multiplicari, id

probatur hoc modo: Quicquid essentialiter existit, illud est essentialiter singulare: sicut enim illud existit, quod est singulare, ita illud essentialiter existit, quod, essentialiter est singulare, & vice versa: Ex his quod ens increatum tantum est unum, ultrò sequitur quod reliqua omnia sunt creata, & ab incremento dependeant, & neutrum eorum sit deus, & sic ex consequenti unus tantum datur Deus.

XIX. Deinde pro Unitate Dei ex lumine Naturæ cognoscendi ita argumentari datur: Quodeunque est summum, perfectissimum & simplicissimum illud duntaxat est unum, Atqui Dei essentia est summa, perfectissima & simplicissima. E. Dei essentia duntaxat est una, seu quod idem est, Deus sua essentia tantum est unus. Maj. ratio est evidens, id enim putatur summum & perfectissimum, quod solum id bonum habet quod haber, nam si etiam aliud quippiam idem haberet, non esset perfectissimum neque summum, siquidem duo perfectissima & duo summa in eodem genere non dantur. Si autem solum id haberet, quod habet, est unicum. Minor ita illustratur. Deus est summus, si autem superiorum se haberet, non esset summus. Deinde Deus est perfectissimus, quia nullum datur, a quo perfici potest, sed ipse reliqua omnia perficit, & habet ea omnia quæ habere debet: Nam si ab alio perficeretur, & ipsi quicquam ad suam perfectionem deesset, ne quidem Deus esset. Deniq; Deus simplicissimus est, quia primus est & novissimus, & principium omnium aliarum rerum: Primum autem principium est simplicissimum, si enim compositum esset, haud foret principium sed principiatum.

XX. Tertiò Unitatem Dei ex lumine naturæ cognoscendam, probare simplicissime possumus ex infinitate Dei per hunc discursum: Si Deus est infinitus sequitur quod tantum sit unus. Antecedens est verum & omnium Phi-

Iosophorum calculo probatur. E. & consequens. Consequentia stabilitur exinde, siquidem plures si essent Dii, plura darentur infinita, quod absurdum esse quilibet metacente intelligit. E. absurdum etiam erit plures esse Deos. Plura vero infinita non dari probatur exinde, quia si plura essent infinita, haud dubie a se invicem distinguerentur, & quod in uno esset illud non esset in altero. Si igitur unum eorum in se non contineret aliquid, quod tantum esset in altero, unum eorum non esset infinitum, quia non contineret omnes perfectiones. Non enim contineret eam, quae est in altero, & per quam alterum ab hoc distinguitur, at vero absurdum est infinitum non esse infinitum. Ita hanc rem solidè diduxit Amplissimus atque Excellentissimus Dn. Bechman / Patronus atque Preceptor noster omni reverentia observandus in Colleg. Metaphys. part. special. cap. X. de Unitate DEI.

XXI. Sed aures nobis vellicare videtur Conradus Vorstius Theologus Leidensis, dum nimurum lib. de Deo & attributis pag. 234. impiè Enti illi Nobilissimo infinitatem denegaturus, haec promit: Neq; DEUS actus simpliciter infinitus est, neq; essendo, neq; operando: tamen si respectu nostris dicuntur utrumq; p. 235. Verum quidem est DEUM omnia in omnibus operari, & nos in ipso vivere & moveri &c. non tamen sequitur, Deum immediate illic sua substantia adesse ubiunque operatur, quia per causas medianas, sive physicis sive hyperphysicis, putat, Angelos &c. operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros. Et paulo post ibid. Apparet ex dictis saltem incertum & dubium esse, quod vulgo de substantiali DEI immensitate dicitur: cum non satis apodictice thesis hanc tenus probata sit. Protestatur quidem Conradus Vorstius p. 238. se haec non definiendi, sed inquirendi animo attulisse, interim tamen quia ipse non vult definire, quid omnes orthodoxi definiverunt, palam nostram



Arani sententiam negat, imò protestatio est facto contraria, dum p. 237. inquit : *Simpliciter credamus quod Sacra litera toutes inculcat, Deum revera sua substantia in celo altissimo eodemq; capacissimo habitare; in terra verò ubiq; Virtute & Sapientia, seu efficaci operatione & providentia sua nobis adesse;* ut in his & aliis videri possunt quæstiones illustres. B.Graueri p.28. Rationes pro stabilienda sua sententia Vorstius addit sequentes, (1.) enim producit silentium Scripturæ, & dicit, sacras literas Deum quidem magnum, excelsum, elevatum vocare, sed nunquam absolute infinitum, aut simpliciter immensum appellare. (2.) Si substantia DEI jam videtur ab Angelis Matth. 18. v. 10. & videbitur à nobis in futuro seculo à facie ad faciem, sequitur quod non sit infinita. Consequentiam suam probat Vorstius, quia infinitum à finito videri nequit, cum finitum non sit capax infiniti. (3.) Si nihil potest esse in natura infinitum, nulla magnitudo, nulla natura, nulla creatura. Sequitur quoq; Deum non esse infinitum. Anteced. est verum. E. & Consequens. Ratio consequentiae est, quia perfectio causæ cognoscenda est ex effectu, de causa enim ex effectu judicandum est. (4) Majestatem Dei postulare, ut substantiam suam ab histerenris abstractam habeat, quæ alias ut pars immisceretur: indignum autem Deo est in antro formicæ aur locis sordidis sua essentia adesse. (5.) Si Deus est hoc aliquid, sequitur quod non sit actu infinitum quid. Antecedens est verum E. & Consequens. Consequentia probatur, quia hoc ipso, quod Deus est hoc aliquid, non est aliud quid, & sic alterius rei perfectiones non continet. Hisce argumentis Vorstii addi potest aliud, nempè hoc (6) Si Deus est bonum infinitum, sequitur in rerum natura nullum esse malum, consequens est absurdum. E. & antecedens. Consequentia probatur, quia, ubi unum oppositorum est infinitum

nitum, ibi alterum oppositum penitus destruitur. Si igitur Deus est infinitum, nullum dabitur malum. (7) Si Deus esset infinitus, nullum ens daretur extra Deum, consequens est absurdum E. & Antecedens. Ratio consecutio-
nis est hæc, quia, sicut corpus infinitum si daretur, exclude-
ret alia corpora omnia, ita, si Deus est infinitus, excludet o-
mnia entia extra se. Denique (8) infinitum imperfec-
tione arguere videtur, cum desumatur à quantitate quæ ac-
cidens est, & consequenter imperfectionem involvit, ac-
cedit ad hoc, quod infinitum sit aliquid negativum, & con-
sequenter de Deo, affirmari nequit.

XXII. Antequam ad argumenta respondeatur, notan-
dum est, quod finitum & infinitum propriè dentur, in quan-
titate, quantitas enim quæ ita extensa est, ut certum agno-
scat terminum, finita vocatur, quæ verò nullum habet ter-
minum, infinita dicitur. A Quantitate finitum & infini-
tum translata sunt ad rerum essentias, ita, ut illæ essentiae
finitæ vocentur, quæ non omnes perfectiones involvunt,
sed certum in perfectionibus habent terminum. Illa au-
tem essentia dicitur infinita, quæ omnes possibles perfe-
ctiones vel eminenter vel virtualiter involvit, ita ut nul-
lus possit assignari perfectionum terminus. Quando jam
Deo tribuitur $\tau\delta$ infinitum esse, illud accipitur posteriori
modo, quatenus dicitur de essentia & perfectionibus, & sic
Deus variis modis dici potest infinitus. (1) quoad duratio-
nem, quatenus sc. durationis suæ neque principium neque
finem habet. (2) quoad alias perfectiones v.g. scientiam,
præsentiam, &c. (3) quoad operationem seu virtutem o-
perandi. Hisce præmissis jam ad Conradi Vorstii argu-
menta erit respondendum.

XXIII. Primum igitur quod attinet, dicimus quod o-
mnino Scriptura Deum appeller infinitum, evolvatur Psal-

145. v. 3. ubi dicitur: **M**agnus est dominus & valde laudabilis, & magnitudinis ejus non erit finis; qui locus de magnitudine molis intelligi non potest, cum haec non nisi in rebus corporeis inveniatur, sed intelligendus est de magnitudine virtutis & perfectionis, ut hic sit sensus, perfectus est deus, & perfectionis ejus non erit finis. At verò deum in perfectione sua non habere finem, & Deum esse infinitum, sunt unum & idem. Ad (2)ꝝ. negando consequiam cum probatione, neque enim requiritur, ut id quod ab alio cognoscitur, ejusdem sit cum alio perfectionis, alias DEVS non posset cognoscere creaturam, cum creatura sit finita, DEVS autem infinitus. Quod in probatione dicitur, finitum non esse capax infiniti, id falsissimum est, sumamus visionem dei beatificam, qua beati aliquando videbunt deum intuitivè, intellectus beatorum est finitus, capax tamen est ipsius dei quem cognoscit. Sufficit igitur inter cognitionem & cognoscens talis proportio, qua cognoscens sua cognitione ferri potest in cognitionem. In (3) arguento iterum negatur consequentia cum probatione, & quidem si consequentia esset bona, probarem deum non esse deum, quia nulla creatura est deus, quod in probatione dicitur, ex effectu cognoscendam esse perfectionem causæ, id universaliter verum non est, scendum igitur duplensem esse causam Univocam & equivocam. Univoca est quæ producit effectum ejusdem speciei & naturæ, ut equus generans equum, ignis ignem. Äquivoca dicitur quæ producit effectum diversa speciei & naturæ, ut architectus qui extruit domum. Deinde, quando dicitur, ex effectu cognosci perfectionem causæ, de dupli perfectione sermo esse potest (1) de essentiali perfectione causæ. (2) de perfectione in operando. His præmissis dicendum est, quod ex effectu Univoco possit quidem

D

dem

dem cognosci perfectio causæ Univocæ quoad essentiam, sed id ad præsens nihil facit; Deus enim non est causa Univoca respectu Creaturarum. Ex effectu autem & quivoco non potest cognosci perfectio causæ & quivocæ quoad essentiam, nam quia effectus & quivocus non habet eandem essentiam cum causa & quivoca, ideo, licet effectus & quivo-
ci natura cognoscatur, non tamen cognosci potest natura causæ, nec etiam ex effectu & quivoco cognosci potest causæ & quivocæ perfectio in operando: licet enim cognito effectu & quivoco cognoscam in causa & quivoca esse tan-
tam in operando virtutem, quanta ad talem effectū requiri-
tur, non enim tota virtus & perfectio causæ & quivocæ in
operando cognoscitur. Jam autem Deus est causa & quivi-
voca creaturarum. E. ex Creaturis perfectio dei cognosci
& intelligi nequit, si sermo est de totali perfectione divina.
Ad (4.) p. Deum adesse sua essentia in omnibus Creaturis,
non ut ab iis contineatur, afficiatur aut inquietur, sed ut
potius conservet & contineat, tanquam Creator & con-
servator in rebus creatis & conservandis; cui rei ab exem-
plo poterit adferri lumen, nam quemadmodum Anima
rationalis, ut ut sit tota in totō corpore impurō & contagi-
osō, non tamen ipsa inficitur aut coinquinatur, ita mul-
tò minus hoc de Deo erit dicendum, qui quidem ubique
essentialiter est præsens, & id propter tamen à rebus sordi-
dis non coinquinatur vel inficitur.

XXIV. Ad (5.) p. quod hoc aliquid dupliciter sumatur.
(1) strictè pro substantia singulari, quæ digitis quasi ostendit potest, & quæ ex materia & forma constat, hoc modo negatur quod Deus sit Hoc ALIQUID. (2.) hoc aliquid sumitur latius pro ente singulari, licet compositum non sit ex materia & forma, & sic consequentia argumenti va-
cillat: Etenim nulla sequela est: Deus est hoc aliquid i.e.

sub-

substantia singularis. E. non est infinitus. Probationem quod concernit, in qua dicitur, quod Deus dum est hoc aliquid, non sitaliud, & consequenter alterius v. gr. Creaturaræ, perfectiones non includat, tunc respondetur, bifariam hoc intelligi posse, Dicū scilicet perfectiones alias rerum ut creaturarum non includere. i. Ut ea non includat formaliter. 2. Ut ea non includat eminenter seu virtualiter. Si primo modo intelligatur, verum est, Deum perfectiones alias rerum ut creaturarum non includere, formaliter scilicet, sed exinde non sequitur Deum non esse infinitum; imo, si includeret perfectiones creaturarum formaliter non esset infinitus, quia illæ perfectiones admixtam habent imperfectionem, quæ si in Deo daretur, ejus infinitatem destrueret. Sin vero posteriori modo intelligitur, negatur, Deum non containere virtualiter seu eminenter Creaturarum perfectiones. Ad (6.) respondere non erit ire per extensum funem. Nam consequentiam elumbem esse qui non videt, cum bona menti litare non autumamus. Etenim hoc tantum sequitur: Si Deus est bonum infinitum, sequitur in ipso nullum dari malum, & hoc certum est, idque probatione fuit evidētum; quia enim alterum contrarium in Deo est infinitum, idcirco alterum contrarium nempè malum à Deo penitus est removendum. Argumentum (7.) itidem solutu facile erit, inficiando consecutionem Majoris: probationem quod attinet, responsi loco damus, diversam esse rationem corporis infiniti, si daretur, & Entis immaterialis infiniti. Corpus enim infinitum si daretur, omne spatium occuparet & impletet, & nullum daretur spatiū, in quo esse posset aliud corpus, adeoque omnia alia corpora excluderentur; at vero res longe aliter se habet cum Ente immateriali infinito, hoc enim non est infinitum per extensionem & occupationem omnis spatii,



ut ab eo omnia Entia excludat. Unde ubi tale Ens est,
possunt etiam plura alia esse. Tandem ad (8.) Respon-
dendum erit pernegando, quod infinitum esse aliquam
imperfectionem arguat. Nam primò negatur quod o-
mnis negatio imperfectionem importet. Quod ut eò me-
lius intelligatur, notandum negationes in duplice diffe-
rentia esse : quedam negant & tollunt perfectionem,
ut cùm dico, injustum esse: iniquitia est negatio vel sal-
tim involvit negationem justitiae tanquam perfectionis,
unde, quia tollit perfectionem, id propter imperfectio-
nem innuit, at verò talis negatio non est tò infinitum es-
se, non enim tollit seu negat perfectionem, sed potius
imperfectionem nempè finitatem. Deinceps dantur ne-
gationes, quæ destruunt imperfectionem, & talismodi
negatio perfectionem potius involvit, e. gr. immortali-
tas est negatio, quæ tollit mortalitatem tanquam imper-
fectionem, hinc immortalitas perfectionem quandam in-
volvit. Hujusmodi autem negatio est tò infinitum esse,
unde perfectionem potius secum trahit quam imper-
fectionem, nempè finitum à Dño removet. Probationem
priorē quod attinet, in qua dicitur, quod aliquid dica-
tur infinitum à quantitate, sicut autem quantitas impor-
tat imperfectionem, cùm sit accidens, ita finitum, quod
ab ea appellationem habet, involvere videtur imperfecti-
onem, tunc & quantitatem esse duplē vel molis, quæ
consistit in extensione, vel virtutis ; quæ est nihil aliud
quam perfectio rei. Jam quando Deus dicitur infinitus,
non sic dicitur à quantitate molis, sed à quantitate vir-
tutis, quæ cùm nihil aliud sit quam perfectio, imper-
fectionem non importat, & consequenter nec tò in-
finitum esse quoad quantitatem virtutis scilicet ali-
quam imperfectionem involvere poterit. Relinquitur.

E. Deum

E. Deum esse Eas quoddam infinitum, & ideo repugnare
plures dari Deos, quia non possunt dari plura Entia infinita.

XXV. Alii alias rationes attulerunt ad ostendendam.
veri Deum, de quibus consuli potest Franciscus Sva-
rezius disp. Met. 30. s. 10. n. 5. Pl. Reverendus Dn. D. Fried-
lieb / in medulla Theol. in Locô de Deo. q. 33. p. 107. Verum
cum plerque sint plumbæ & solitu non difficiles, ideo
mittimus eas, existimantes non in argumentorum nume-
ro sed pondere robur consistere.

XXVI. Antequam verò ad testimonia Ethicorum pro-
grediamur, quædam prius removenda erunt. Objici au-
tem (1.) potest: Quicquid intellectus noster concipit ut
communicabile, id non concipit ut unum quid: Atqui
Deum concipit ut communicabile, siquidem intellectus
Deum concipit ut bonum, quod est communicabile quip-
piam. E. Deum non ut Unum quid concipit. (2.) Gen-
tiles multos statuerunt Deos. Ex lumine rationis non po-
tuerunt Unitatem Dei colligere. At ad hæc respondere
haud erit difficile, in (1.) arguento igitur negatum imus
propositionem Majorem. Etenim intellectus naturam
humanam etiam ut communicabile quid suis individuis
statuit, nihilominus natura humana est unum quid, una
nimirum species humana. Ad (2.) &. Saniores Gentiles
plures Deos non admiserunt, sed unum Deum professi fu-
erunt, sicut ex §. subsequenti, in quo testimonia eorum,
qui lumine naturæ recte usi sunt, adducentur, affatim
dispallescet.

XXVII. Necesse nunc est, ut sententiam istam testimo-
niis saniorum Ethicorum etiam stabiliamus, qui, cum
vix probabile sit, ex supernaturali revelatione eos hanc do-
ctrinam hausisse, necesse est, ut solo naturæ lumine duci ad
hanc cognitionem ascenderint. Imprimis verò notabilia
sunt ea, quæ hac de re apud Principem Philosophorum le-

guntur. Sic autem ille 8. Phys. t. 48, 49. Ταῦτα δέ καὶ εἴ τοι, ὁ
τρόπος τῶν ἀνθράκων αἰδίοις, εἴ τοι τοῖς ἄλοις ἀεχτὸν κανόνες. Φα-
νεγός δὲ ἐν τεστε, ὃν αὐτόντινον εἴναι εἰς καὶ αἰδίοις τὸ πρώτον κανόν. h.e.
Sufficiens autem est unum, quod cum primum immobilium sit per-
petuumve, ceteris erit principium motus. Ex hoc etiam patet a-
liquid esse necessariò Unum perpetuumve, quod primo movet.
Ubi per τὸ τρόπον κανόν seu primum movens Aristoteles ni-
hil aliud intelligit quam ipsum Deum, cuiusque qui parum ver-
fati sunt in ejus scriptis obscurum esse non potest. Hoc au-
tem εἰς εἶναι, dicit, αὐτόντινον δέ. Quibus succinunt clarissima e-
jusdem verba. 2. Met. 1. οὐδὲν εἴη τρόπον τὸ τρόπον σύνοικον αὐ-
τον τῇ εἴδος. h. e. quocirca id, quod aliis rebus dedit, ut unaqueq;
una sit, illud maximè est unum. Illud vero juxta Aristotelem,
quid aliud est quam Deus? Deus ergo ipsi maximè unus est.
Quadrat huc etiam optimè, quod optimus Philosophus
potquam 12. Met. c. ult. dixerat. Entia nolle male gubernari,
st. tim subjungit elegantissimum Homeri versum

Καὶ αὐτὸν πολυκοινών, εἰς καὶ εγενόμενον.

Non est bonum multorum dominium, unus sit dominus.
Quin imò non solum Deum esse, sed etiam quomodo sit
Unus exponit, quando 12. Met. 8. t. 49. ait: Unum ergo &
ratione & numero primum movens immobile Ens est. Radii
solares non sunt clariores cum sudum est, atque haec laudati
Philosophi de unitate dei numerata eloqua.

XXVII. Discipulo subjungimus Praeceptorem divinum
Platonem, de cuius sententia nemo dubius esse potest: qui,
quod epistolā tertiarā ad Dionysium scribit, legerit: Notam e-
pistolarum quas serio aut non serio scribo, et si opinor te me-
minisse, attendito tamen diligenter. Complures enim ju-
bent me scribere, quos non facile possum apertè appellare.
Seriz igitur Epistolæ initium est Deus, non seriæ Dii; Et Ju-
stinus in exhortatione ad Gentes scribit; Platonem doctrinam
Mosis

Mosis ceterorumq; Prophetarum de Uno solo Vero Deo agnoscere, quam in Aegypto didicerat; Tamen propter Socratis casum veritum, ne contra se quoque aliquis Anytus aut Melitus exorietur, qui populo Atheniensi oclamaret: Plato curiositate sua violat, quos civitas colit Deos, esse non existimat: Item quod Ficinos de Platonis sententia in Cratylum scribit: Neque nos turbet, quod plures sappè nominet. Unicum enim per se ipsum in Parmenide atque Timao probat esse Deum; Ceteros vero Angelicos coelestesq; Dei ministros, cum Deos nominat, non tam Deos quam divinos intelligit. Egregie etiam in hanc sententiam sunt versus, qui vulgo Pythagoræ adscribuntur.

Ei Iis ἐπει, θεός είμι, παρεξέ είδος & τῷ Θεῷ ὁ Φείλει.
Κόσμοι ἵστοι τέτω γάρ τοις εἰπεῖν, είμοις & τῷ Θεῷ.
Καχί μόνον γάρ τοις εἰπεῖν, είμοις, αλλὰ καλούμενοι
Ἄνθροι, οὐ ω πεποίητε, πεποίηται δὲ τοῖς τέτω.
Si quis dicet, Deus sum pater Unum, ille debet
Mundum huic parem condere, & dicere, hic meus est,
Nec solum condere & dicere, meus est: Sed habitare
Ipse in eo, quem fecerit, hic ab hoc factus est.

Nec minus illustria sunt verba Phocylidis:

Ἐις θεός οὐ οὐ Θεός, δυνάτος οὐ αἷμα οὐ πολύτελος.

Unus Deus est sapiens, potens simul & omnifariam dives.

Imò nonnulli ex ipsis Ethniciis Deorum multitudinem confutarent: Veluti de Socrate testantur Apulleius & Agellius, quod ad cicutam damnatus fuerit, quia Unum duntaxat Deum profiteretur, & alios Gentilium Deos de-testaretur. Ut enim irriderset istos Deos minutulos, jura-re per querum, canem & hircum solitus fuit: Quod vero in Poetarum scriptis nullibi non elucere videtur πολυθέοντες, illud non semper ex inscitia profectum est. Sapè enim uni eidemque Deo à diversis officiis & operationi-

bus

ibus diversa imposuerunt nomina, teste ipso Seneca l. iv. de
benef. c. vii. *Quaecunq; inquiens, voles illi nomina propria apta-*
bis, vim aliquam effectumq; celestem continencia. Tot Appel-
lationes ejus possunt esse quot munera: idem officium, si quod
à Seneca acce^{re}sses, Annæ tedi^{re}res debere l. Lucio; non crea-
ditorem mutares sed nomen. *Quoniam seu pronomen ejus seu*
nomen dixisses, seu cognomen, idem tamen ille esset. Sic hunc
Naturam voca, Fatum, Fortunamque; omnia eiusdem,
DEI nomina sunt, varie utentis sua potestate. Nec ra-
rò figurato sermone quæ à DEO proveniunt, DEI no-
mine honorarunt. Cùm etiam Philosophi & Poëta per-
spicerent, omne illud quod magnam utilitatem afferret,
non sine divina bonitate erga homines fieri, interdum figu-
ratè loquentes, omne illud, quod à Deo natum erat, nomi-
ne ipsius Dei nuncupabant ait Cic. l. 2. d. natura Deorum.
Nonnunquam etiam ut feras & indomitas Gentes metu tot
Numinum in recta rationis gyrum redigerunt, Deorum
pluralitatem in vulgus sparserunt. Dicis: Atqui ipse gen-
tium Doctor πλυνθότης favere videtur l. cor. 8. v. 5. ubi
inquit: Multos esse Deos & Dominos multos. Verum p.
Paulum plures dicere deos non veros, verum enim deum
unum esse ibidem statuit, dicto loco ex opinione & persuasi-
one hominū loquitur, homines enim plura colebant idola,
de quibus in adducta epistola agit; vel Deos plures esse dicit
per assimilationem quandam, Sicut Moses dicitur Deus
Aaronis & Pharaonis Exod. 14. v. 16. vel tandem ratione
officii & eminentiæ, qua ratione Magistratus & Principes
Dii vocantur. ut Exod. l. v. 16.

XXVIII. Egregia ad illustrandam Gentilium de Diis o-
pinionem facientia verba videri possunt apud Tullium l. 2.
d. natura Deorum, ut & Patrem illum Augustissimum
Augustinum l. iv. de C. D. c. xi.

XXIX.



XXVIII. Agmen claudant verba Augustissimi Patris
1. iv. de C. D. c. xi. Quotquot libet igitur physicis rationibus &
disputationibus asserant: modò sit Jupiter, corporei huius Mun-
di animus, qui universam istam molem ex quatuor, vel quo
cis placet, elementis constructam atq[ue] compactam implet & mo-
vet: modò inde suas partes sorori & fratribus cedat; modò sit &
ther ut aërem Junonem subterfusam desuper amplectatur: modò
totum simul cum aère sit in se cælum, terram vero tanquam conju-
gēme andemq[ue] Matrem: quia hoc in diviniturpe non est, fuscun-
dis imbris & seminibus faret: modò autem ne sit necesse per
cuncta discurrere, DEUS UNUS de quo multi à Poëta nobilissi-
mo dictum putant?

Deum namq� ire per omnes

Terræq; tractusq; maris cœlumq; profundum.

Ipsa in aethere sit Jupiter, ipse in aere Juno, ipse in mari Neptunus: in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Puto, in terra inferiore Proserpina, in focus domesticis vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sideribus Sol, Luna & Stella: in divinantis bus Apollo, in merce Mercurius, in Jano initiator: in termino terminator, Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in sylvis, Minerva in ingenii. Ipse sit postremo etiam illa turba, quasi plebeiorum Deorum; Ipse praesit nomine Liberi virorum seminibus, & nomine Liberae feminarum. Ipse sit Diespiter, qui partum perducit ad diem. Ipse sit Dea Mena, quam praeferunt menstruis feminarum. Ipse Lucina, quae a parturientibus invocetur. Ipse operferat nascentibus, excipiens eos sinu terre, & vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, & vocetur DEUS Vagitanus. Ipse cunas tueatur, & vocetur Dea Cunina. Non sit alius, sed ipse in Deabus illis, quae fatan nascentibus canunt, & vocantur Carmentes. Praesit fortuitis, vocetur Fortuna. In diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam.

E

de

de actū Agenoria : de stimulis , quibus ad nimium actum homo
impellitur , DE A stimula nominetur . Ipse sit DEUS Consus ,
præbendo consilia , & Dea Sentia , sententias inspirando . Ipse sit
Mutinus , qui est apud Gracos Priapus , si non pudet . Hec omnia
quæcunque dixi & quæcunque non dixi , non enim omnia di-
cenda arbitratus sum , h̄i omnes Dii Deaq̄ sit Unus Jupiter :
sive sint , ut quidam volunt , omnia ista partes ejus , sive vir-
tutes ejus , sicut iis videtur , quibus eum placet esse Mundi a-
nimum , que sententia velut magnorum multorumq; doctorum
est.

XXIX. Quæ igitur saniorum & cordatiorum Gentilium
de Deo fuerit opinio , ex allegatis hactenus eorum testi-
moniis satis superque constat ; Vulgum autem plures
Deos coluisse & invocasse , quis est qui ignoret ? Cujus
rei causa est , tum Poetarum tot Deos canentium & cre-
pantium seductio , paternorumque morum & errorum æ-
mulatio , tum verò in primis Cymmeriæ mentis nostræ in
arduis hisce rebus ob lapsum protoplastorum tenebra ,
mali Genii seductio , pertinax voluntatis malitia atque affe-
cta Dei ignorantia , & lux æterna in qua supiemus re-
rum arbiter habitat , cui nunc , inhibentes calamus , quod

naviculam hujus dissertationis nostræ feliciter
ad portum appulerit , pias laudes
decantamus .

TRINO ET VNI
DEO GLORIA.

SUPER-

SUPERPONDIA.

- I. Potest aliquid esse univocum & equivocum simul.
- II. Distinctio Entis in Ens nominale & participiale est nullius momenti.
- III. Aliud est esse actu, aliud esse actum, aliud esse per actum.
- IV. Materia est Ens potentia & est Ens actu.
- V. Minus recte dispescitur materia in materiam permanentem & transeuntem.
- VI. Definitio Porphyrii Accidentis, qua dicitur, quod sit id, quod adest vel abest sine subjecti corruptione, est vitiosa & falsa.
- VII. Privationes sunt Entiarationis, & non sunt Entiarationis.

Ad Eximum Doctissimumq.

Dn. JOHANNEM WENDELINUM Glöckner /
SS. Theol. & Philos. Cultorem
indefessum

De UNITATE DEI publicè disputatarum.

Numinis est bonitas nobis Campanula ad instar.
GLÖCKNERE, hanc pulsas, quam bonus ille sonus?

Singulare benevolentia testandæ L. M. Q.
scribam

JOH. ERNESTUS GERHARDUS,
SS. Theol. D. & P. P.

VNUM monstras esse DEUM per dulcis Amice :
IDEM TE posthac ducat ad astra poli.

Ista vovebat Eximio atque Eruditissimo Dn. Glöcknero,
Autori hujus Disputationis certissimo, Fautori
& Amico honorando

M. JOH. CHRISTOPHORUS Hundeshagen /
Fac. Philosophic. Adjunctus.

A 2

Ad Pra-

Ad Praestantissimum atq; Eruditissimum
DN. AUTOREM hujus Disputationis,
Amicum, Fautorem ac Contuberalem suum sin-
gulariter honorandum.

أَنْتَ مُهَمَّةٌ لِّلْمُؤْمِنِينَ أَنْتَ
أَنْتَ الْمُحَمَّدُ أَنْتَ أَنْتَ
أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ
أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ
أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ أَنْتَ

Ita Amicitiam ac Benev. suam plusquam
fraternam testari voluit, debuit,
LUDOV. GOTTFRIDUS WERNHER,
SS. Theol. Stud.

Egregium Sophiae specimen feliciter edis,
Perge : Tibi dudum lauream Apollo parat.

Paucis hinc Pereximio atq; Literatusimo Domino
Respondenti, contubernali, conterraneo & a-
mico fratri instar dilecto congratulatur.

JOH. JUSTUS Wolff / Eberstato-Montanus
Phil. & Lingg. Stud.

F I N I S

Ff 3341

ULB Halle
001 846 40X


3



TA-OC

WDA





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimeters
Inches



ΘΕΟΣ ΘΕΟΣ!

DE

UNITATE DEI PERMISSV SVPERIORVM

JENÆ

Ad diem Februarii

A.O.R.

clo Ise LXIII.

DISPV TABVNT

PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTO.

PHORVS Hundeshagen / Molhusinus, Amplissima
Facultatis Philosophicæ Adjunctus,

&

AUTOR - RESPONDENS

JOHANNES VVENDELINVS

Glöckner / Darmstatinus - Hassius.

LITERIS

Johannis Jacobi Bauhofferi.